

signo dominabitur. Idemq; Mars in secunda, & Sol siue cum cauda siue non sint, sed hoc dictum est, dum Mars uel Sol extra domum uel exaltationem suam erit. Vnus quidem in locis proprijs per rapinam & auariciam designat substantiam, alter cū honore et laude acquirat, quanquam delectatur semp in dando ut alter in dispensando proprio appetitu, sed nunq; sic dispositi paupertatem designāt.

70

Non solum per secundam prosperitates siue diuitias iudicabis; Sunt quidem dona, magisteria & dominia, quæ per secundam non iudicantur. Pars uero fortunæ etiam significationem propriam habet, dico de illa quæ die noctuq; à Sole in Lunam dirigitur, affluere proprias diuitias & assignare facit.

71

Per decimam solū de dignitatibus pacificis & honoribus non præsumas tradere iudicium nisi prius Iouem considerabis. Porro ipse per bonitatem suæ naturæ propriæ has infert.

72

Si Dux natiuitatis Iupiter erit, siue dispositor totius fortisq; ex angulo & existentia, pium, iustum, uerum, fidelem iudicabis natum uenturum nullæ poenitæ indigentia uictus, & hoc contra faciunt infortunæ malæ dispositæ.

73

Luna in Ariete in octaua indicat calidam infirmitatem in capite & in pectore non euadet, in principio ægritudinis, si in hac dispositione fuerit nonq; perueniet ad decimam nonam diem. In natiuitatibus uero si ipsa erit luminare tēporis in hac figura non longæuum designat, sed potius mori ante completam iuuentutem, siue ante ætatē effusionis spermatis siue seminis.

74

Mora in utero matris maior, non ultra erit motum solis p nouem partes circuli zodiaci, uidelicet, à primo puncto effusionis seminis usq; ad horam exitus de uentre, ne credas hoc aliter esse ex cursu naturæ, quanquam quàm plurimi non hoc modo dixerūt, nescio qua ratione, qua radice, quibusue experimētis, cursus quidem naturæ seruādus est, & ratio Physica, Astronomica, ut demōstrauimus in opere Practicæ huius cōpositæ nostræ.

75

Maius impedimentum quàm esse possit in dandis filijs significator in quinta retrogradus est, siue combustus, quod peius est,